

quid deditur. unius sicut

canit. leonide deperditur.

caudat aquila. **L**ae sicut bestia

is qua sapientia. **I**heralis notat

materialis her est unpolino **I**ur

ficantur. sicut. **P**leu us

quid deditur. **S**icut. **I**ur

de de secula. **S**icut. **I**ur

unus. **S**icut. **I**ur. **D**e

pe mercedis et **I**ur

Register dieses Buchs.

1. Bekantnis von der freyen Verknüpfung beider Naturen in Christo v. Titelm. Heshusij.
2. Bekantnis vom 6. Abendmahl Christi. Heshusij.
3. Brief von dem Collegio der zu Gnadenburg versambelten Theologen von dem Vbi quist
Vobis Christus Item iudicium Heshusij
4. Brief von den neuen Amblingiten
5. Widerlegung des Dymkarts, namentlich zu Leipzig wider die Anhaltischen Theologen
Brief von den neuen Amblingiten
6. Antwort auf etliche frugsteltliche fragen Titelm. Heshusij et c. davon ja Titelm.
7. Extract oder anhang aus einem christlichen Dombrief und warnung v. Heshusij (im h. l. 177)
8. Warnung und Vermanung der von Zerbst an v. Selneccern
9. Kurzer geistliche Antwort auf die Anhaltischen Theologen Warnung und Vermanung
10. Selneccerns Kurzer abtunung der samlischen Antwort der Zerbstischen Theologen
11. Auf die Anhaltischen Theologen wider v. Chemnitz und Selner.
12. Bericht von M. Weiff Ambling und sein anhang wider die Anhaltischen Theologen
13. Joh. curpi hieser erklärung über 3 frugm, welche Hüben erzeigt hat.
14. Disputatio de persona Christi Pfaffradij
15. Disputatio. 1. de officio prophethico Christi. Berckelmannij
16. Historia passionis et resurrectionis per Justum Grossart
17. Enchiridion Catecheticon Cuppij
18. De incarnatione Verbi disputatio per Clearium
19. Disputatio 3. de peccato originis. Hoffmannij
20. Propositiones de Baptismo Heshusij
21. Disputatio de ecclesia Dei Boetij

18.

I. DISPUTATIO

DE INCARNATIONE
VERBI:

QVOD FILIVS DEI HVMA-
NAM NATVRAM SVAM NON DE COELO SE-
*cum attulerit, sed ex Maria virgine assumserit in unitatem
personæ: ideoq̄, secundum carnem nobis
ὁμοῶς ἐστίν.*

ADVERSVS ANABAPTISTARVM ERRORES:
*in qua, CHRISTO S. Spiritus gratiam
largiente,*

PRAESIDE

IOHANNE OLEARIO DOCTORE, S.
THEOL. & HEBRAEAE LINGVAE PROFES-
*sore in illustri Academia IVLIA, respondebit M.
LVDOVICVS MOLITOR Lucho-
uiensis. 14. Apri. hora 7.*



*Excusa Helmstadij per IACOBVM LVCIVM
Anno salutiferae Incarnationis
M. D. LXXXI.*

DE SACRAMENTATIONE

JOHANNES DE S. MARTINO

THEOLOGUS

PROFESSOR

IN

UNIVERSITATE

WURZBURGENSI

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS

THEOLOGICIS

IN

UNIVERSITATE

FRANCISCO HUBERUS

PHILOSOPHUS

M. D. LXXII



I. DISPUTATIO.
DE INCARNATIONE VERBI.

QUOD FILIUS DEI HUMANAM SV-
AM NATURAM EX MARIA VIRGINE AS-

sumserit, nobisq̄ secundum carnem oppositi-
sit. Aduersus Anabaptistarum
errores.

I.

Incarnatio verbi est admirandum opus Diuina
Maestatis, & magnum pietatis mysterium, quo
aeternus Dei filius id quod erat, permansit, &
quod non erat, assumpsit: factus est filius hominis,
vt credentes in ipsum, efficeret filios Dei: natus
est ex virgine, vt nos renasceremur ex Deo. Esai.

7. 9. Luc. 1. Ioh. 1. Gal. 4. Heb. 2.

II. Admirandum & mysterijs plenum hoc opus est, quia non
solum praeter & contra natura leges virgo sine virili semine concipi-
pit, grauidatur & parit: Esai. 7. Matth. 1. Luc. 1. & 2.

III. Verum etiam aeterna, immensa, ac infinita Hypostasis fragi-
lem, finitam adeoq̄, exilem creaturam, videlicet carnem & ani-
mam humanam sibi personaliter, indiuisè, inseparabiliter, immu-
tabiliter copulat ac unit. Esai. 40. Phil. 2.

IIII. Non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione hu-
manitatis in Deum: vt sit vnus idemq̄, homo pariter & Deus ve-
rusq̄, Immanuel. Esai. 7.

V. Non confusione substantia, vel permixtione, vel abolitione
naturarum, sed vnitatis personæ. 1. Timoth. 2. Vnus est Mediator
Dei & hominum homo Christus Iesus. Matth. 16.

VI. Vt sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus
& homo vnus sit Christus: quemadmodum in symbolo Athanasii
piè & orthodoxè confitetur Ecclesia.

A 2

Quam-

VII. Quamuis autem in hoc articulo fidei tam imperuestigabile sit mysterion, (quod Christus conceptus sit de s. s. natus ex Maria virgine) ut modum Vnionis & Incarnationis huius nemo vel hominum vel Angelorum enarrare possit:

VIII. Non tamen pias de hoc meditationes intermittere debemus: sed quae in sacris literis passim proponuntur, diligenter & in timore Domini considerare.

IX. Multo minus fanaticis hominibus concedendum, ut suis somnijs, hanc omnis consolationis plenissimam doctrinam nobis deprauent: ac quidlibet, male contortis scripturae dictis, de isto imperscrutabili arcano comminiscantur: cum pietatis opus sit $\text{Ἰπιστομίζῃν τὴν αἰνιδέουσαν}$. Tit. 1.

X. Quia verò plurima sunt huius disputationis capita, quae vel nostro, vel priscis seculis diu iacuerunt in controuersis: constat inter omnes pios: Satanae fraudes ad oppugnandam nostrae salutis arcem imprimis fuisse perniciosas, cum per veteres Valentinianos, Manichaeos, Marcionitas, & recentes Anabaptistas, veritatem carnis Christi in dubium reuocauit.

XI. Eiusdem enim res est periculi, teste Hilario, vel diuinitatem vel carnem nostri corporis in Christo negare: cum alterum sine altero nihil spei tribuat ad salutem.

XII. Et qui negat Christum verum hominem, non est pro illo mortuus Christus, quia secundum hominem mortuus est: sicut Augustinus cum Tertulliano loquitur. Sumus enim in corpore carnis Christi Deo reconciliati, Coloss. 1. & anima Christi est ἀντίδοτον pro nobis. Matth. 20.

XIII. Ut autem nostrae salutis aduersarius, est μυριότερον in labefactanda veritate: sic alijs atq; alijs cuniculis actis ad hoc Mysterion, vel totam hominis naturam, quae corpore & anima rationali constat, vel partem eius, Immanueli nostro adimere conatus est.

XIIII. Primum enim sinxere quidam, Non veram carnem humanam, sed phantasma tantum a filio Dei assumptum fuisse: Incarnationem
nationem

nationem, natiuitatem, actiones & passiones καὶ δόξασι ἢ φαντα-
σίαι duntaxat contigisse: quos vetustissimi quidem scriptores Igna-
tius & Irenaeus refutarunt: sed postea tamen Manichaei velut ab
inferis resuscitarunt.

XV. Deinde Valentiniani, ut & nostri temporis Anabaptista,
commenti sunt, Veram quidem esse carnem quam filius Dei assum-
sit, sed ex Mariae virginis substantia illam nullo modo sumtam,
neque nostrae ομοσίον esse: imò corpus illud caelitus allatum, & in u-
tero virginis ita formatum: vel etiam (ut Menno Simonis docet)
ex ipsa diuina verbi substantia veluti concretum esse: quo caele-
ste, non terrenum, & ab omni labe peccati mundum censei posset.

XVI. Praeterea nonnulli Apollinarem secuti, veram Christo car-
nem tribuerunt: sed animam rationalem ipsi negarunt: sicut etiam
Arriani contenderunt in persona Seruatoris λόγον vicem τῆς ἡγεμο-
νίας fuisse.

XVII. Alij denique, licet integritatem humanae naturae Christo
concederent: tamen eam exinanitionis tempore infirmitatibus ve-
rè subiectam fuisse pernegarunt: atque ita internas eius passiones
planè sustulerunt, ut Origenes.

XVIII. Postremò quidam, ut Eutyches & alij, finxerunt hu-
manam Christi naturam prorsus absorptam in diuinitatem: ut, post
unionem, vel saltem post exaltationem, sola iam diuina natura
remanserit: Caro autem vel in quatuor Elementa post dissipatio-
nem redierit, vel in nihilum redacta sit, ut Apelles somniauit.

XIX. Quare necessarium est, non solum de diuinitate Christi nos
immota veritatis colligere fundamenta: sed etiam de humana car-
ne, quam λόγος in unitatem personae assumpsit, perpetuam scripturae
sententiam religiosè considerare: contraque fanaticos fidem nostram
munire.

XX. Et quoniam hoc tempore libri Anabaptistarum multos in er-
rorem inducunt, multorum fidem speciosis argumentis titubare co-
gunt: quibus negant filium Dei carnem ex Maria virgine nostrae
similem assumpsisse: Primò veram de hoc articulo fidei sententiam è

*Sacris literis confirmabimus: Deinde obiectiones illorum, quas cum
Valentinianis, & Marcionitis veteribus habent communes, iuvan-
te Christo, refellemus.*

*XXI. De humana Christi natura (quam Synecdochicè carnem
Christi vocat Ecclesia) credendum: quòd filius Dei operatione
S.S. supervenientis in Mariam, & obumbratione Altissimi, verum
corpus & veram animam humanam in utero virginis Mariae sine
labe peccati susceperit, arctissimaq; copula sibi in perpetuum uni-
uerit: sic, ut carne per omnia nobis similis, peccato tamen disti-
mitis sit: ac verè filius hominis & frater noster appellari possit.*

*XXII. Huic confessioni testimonium perhibet totum vetus no-
uumq; Testamentum: & pariter eorum impietatem, qui vel phanta-
sticum corpus Christo tribuunt, vel cœlitus id allatum, aut etiam
è substantia verbi potius quàm è semine virginis ortum esse fin-
gunt, redarguit.*

*XXIII. Etiam si verò Gabrielis Archangeli, Euangelistarum &
Apostolorum oracula velut omni luce clariora, sufficere p̄ys menti-
bus, tum ad confirmandam veritatem, tum ad retundendam fal-
situdinem poterant: tamen quoniam his autoribus, prophetarum scri-
pta nobis commendantur: ab illis ordiemur.*

*XXIV. Primùm in ordinaria sede patefacti huius mysterij,
quod sine peculiari reuelatione nulli creatura, vel cœlesti vel ter-
restri potuisset in mentem venire: Pater æternus Mesiam, à quo
conterendum erat caput Serpentis: appellat SEMEN MULIE-
RIS. Gen. 3.*

*XXV. Notum est autem, Hebræa phrasi, semen mulieris signifi-
care, filium mulieris, ex ipsius semine natum, sicuti semen Abrahe,
posteritatem ex ipso propagatam Gen. 15. significat. Tropi genus
Metonymia potest vocari.*

*XXVI. Ita promissionem illam primis parentibus intellectam
fuisse: quòd nimirum Redemptor, verus homo de semine mortali
nasci debebat, demonstrat illa gratulatio Eue Gen. 4. Nacta sum
virum, ipsum Iehouam. Licet enim de indiuiduo grauer aberrat:*

ret:

ret: θεοῦ ἄνθρωπον tamen fore Liberatorem credebat, & heroa geminae substantia.

XXVII. Apostolus Gal. 4. proprietatem hanc Messiae clarius exprimit, cum de incarnatione Mediatoris ait, filium Dei natum siue factum ex muliere γεννώμενον ἢ γενόμενον, ut est in diuersis codicibus.

XXVIII. Ex his oraculis ita concludimus: Qui semen mulieris appellatur, qui natus siue factus ex muliere dicitur: illius caro non est caelitus demissa: nec e diuinitate concreta: sed nobis consubstantialis: At ista de Christo dicuntur in scripturis: falsum igitur quod caelestis, ipsius carni materia tribuitur.

XXIX. Quod autem obijciunt Anabaptista Metaphoricam esse locutionem, qua semen mulieris dicatur Messias, etiamsi carnem ex eius substantia non habeat: Quemadmodum semen serpentis & filius Diaboli dicitur, qui tamen ipsi non est ὁμοιοῦς:

XXX. Ad hoc respondemus, Scripturam alibi saepius hoc religionis nostrae dogma repetuisse: ac passim clarius etiam expressisse: nec usquam ubi proprie mysterion istud exponitur: significari tropum talem istis vocalibus adhibendum. Imo si talis admittatur elusio, totam salutem nostram periclitari: quemadmodum postea demonstrabitur.

XXXI. Nec etiam valet consequentia, Quoniam ibidem vox Seminis, non denotat illud quod carnali propagatione natum est e serpente, ideo nec in altera clausula, semen mulieris exponendum esse pro filio, qui carnem ex muliere susceperit.

XXXII. Sententia siquidem dictorum ex causis est assumenda dicendi: neque interpreti Regula ad lapides aedificij: sed lapides ad regulam sunt aptandi. Sic ad proprium subiectum, de quo est sermo: quodque significatibus verbis redditur, sepe figuratis vocabulis in eadem oratione alluditur. neque propterea tamen omnia pariter impropria debent haberi.

XXXIII. Quia vero, sicuti praclare contra Samosatenum Epiphanius ἐκείνην ζητήματα εὐρεσιν ὅτι διὰ ἰδίων λογισμῶν δυνάμεθα λέγειν, ἀλλ' διὰ τῆς τῶν γενομένων ἀκολουθείας. Videamus deinceps quam nos & eodem loco, & in alijs doceat

S. S. texere,

S. S. texere consequentiam : & quam monstret nostre explicationis necessitatem.

XXXIIII. Humane, non cœlesti nature Deus mortem erat minatus, quocumq; die vetitus ille fructus contra suum interdictum ab Adamo attingeretur. Gen. 2.

XXXV. Quia verò mandatum hoc improbè violatum fuerat : immota veritatis & iusticiæ diuinæ regula, comminationis acerbitate retractare non poterat : quin homini morte moriendum esset. Non enim est Deus quasi homo, ut mentiatur : sed quod dixit, certissimè facit. Num. 23. 1. Sam. 15. Luc. 21.

XXXVI. Iam quia veritatem et iusticiam suam misericordia & Φιλανθρωπία prorsus admirabili temperare Deus volebat : quæ ipsius equè memorabilis est proprietates. Exod. 34. Num. 14. Ioel. 2. Ionæ 4. Ps. 103.

XXXVII. Polluta verò natura, pollutos expiare non poterat, nec ullius hominis mors ἀντίλυτρον pro cunctis persolvere, ut Ps. 49. scriptum est: Fratrem homo verè liberare non potest, neq; persolvere Deo placamentum pro eo : quia preciosius est, redimere animam illorum, ut desinere cogatur in æternum.

XXXVIII. Ideo filium Dei verum hominem fieri, nostræq; carnis massam assumere oportuit (sed sine peccato, Heb. 5. Esa. 53.) ut homo mortem appetens, æternæq; damnationis terrorem sentiens, veritati iusticiæq; diuinæ satisfaceret, amissamq; vitam repararet. Hos. 13. Heb. 2.

XXXIX. Hoc mysterion redemptionis nequaquam esset peractum, si filius Dei naturam humanam non assumisset, adeoq; verus homo ex virgine natus non esset.

XL. Si primi parentes hoc solatium non audiissent : nulla re aduersus iram æterni Dei diserta comminatione denunciata se sustentare potuissent : quin potius singulis momentis, horrendam illam mortem imminere, perpetuosq; cruciatus secum trahere statuissent : quod sanè miserabili ista fuga satis indicant se iam tum sentire. Gen. 3.

Sed quia

XLI. Sed quia promittitur semen quoddam, non viri sed mulieris, hoc est, virginis (Vt Esaias 7. Archangelus Gabriel Luc. 1. interpretatus est) exoriturum: Cuius potentia regnum serpentis infernalis sit conterendum: sic tamen ut ipsius quoque calces pariter ab inimico serpente conterantur.

XLII. Iam vident, licet obscure, per speculum in enigmate, quod inexhausta Dei sapientia remedium malis ipsorum repererit: quod ab ipsis in personam Mediatoris, inobedientiae supplicium translatum sit, ut Psal. 40. de spontanea Mediatoris intercessione, & redemptorum letitia canit.

XLIII. Adumbratur illud poste a dulcissimo typo: cum pellibus ouium velatur nuditas Adami & Euae: qua frustra ficulneo subligaculo fuerat occultata. Nam Agnus Dei imò Deus ipse carne passus, & mactatus instar victimae, tegumentum turpitudinis, & umbraculum aduersus aeternam iram diuinam suppeditare debebat. Esa. 25.

XLIII. Ex quibus manifestum est, eos qui veritatem Humanae naturae in Christo negant, totum consilium Dei de Redemptione generis humani negare.

XLV. Si enim non ipsam humanae naturae substantiam ex Maria virgine λόγος assumpsit: homo nondum est pro nobis mortuus, sed similitudo hominis: atque ita sub maledictione Dei & in peccatis nostris adhuc haeremus.

XLVI. Aut Deum in verbo comminationis mendacem facimus, qui dixerit tantum, hominem peccato contaminatum, morte multatum iri: non autem veritatis & iustitiae legem executus sit: sed aliam quandam substantiam loco hominis cruciari voluerit. Id verò repugnat toti scripturae, quae veracem & iustum Deum praedicat. 1. Samue. 15. Dan. 9. Psal. 119.

XLVII. Atque huc ea pertinent, quae à S. patribus, et orthodoxis Theologis recitantur causae, cur Mediatorem oportuerit non solum Deum, sed etiam verum hominem esse, de quibus Iren. lib. 3. Athana. de Inc. verbi, Aug. lib. 13. de Trin.

XLVIII. Quae doctrina, ut fundamentum totius Christianae religionis

B

ligionis

ligionis continet : ita non sine scelere per veteres & recentiores Valentinianos & Marcionitas oppugnatur.

XLIX. Caterum ut manifestior sit confessionis nostra veritas, & erroris contrarij vanitas : consideremus sequentia Prophetico- rum librorum de Verbi Incarnatione oracula : inter quæ luculentiss. & ampliss. est illud, Gen. 12. 15. 21. Abrahamo datum, plurimis in veteri nouoq; Testamento locis repetitum. In semine tuo benedicentur omnes gentes.

L. Messias non posset hic verè semen Abrahamæ secundum carnem vocari, (ut Apostolus Gal. 3. interpretatur: Non dicit in seminibus tanquam in multis, sed in semine, quod est Christus) nisi humana ipsius natura ex Abrahamo esset : sicuti Rom. 9. docetur : Christum ex patribus secundum carnem esse : qui est Deus super omnia benedictus in secula.

LI. Vnde etiam Heb. 2. illud Incarnationis mysterion Antithesi & vocabulo assumendi Ἰπλάμεσάμεν & declaratur, Non enim Angelos assumit, sed semen Abrahamæ assumit : unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis Pontifex, in ijs quæ ad Deum, ad expiandum peccata populi.

LII. Eodem cap. demonstratur, quod Christus verè sit ex semine Abrahamæ secundum carnem, ubi ait : Nam & qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno omnes sunt : quamobrem non erubescit eos fratres appellare dicens: (Psal. 22.) Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesie laudabo te. Item: Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, ipse similiter particeps factus est eorundem.

LIII. Causa quoq; finalis additur assumtae carnis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberaret eos, qui metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti.

LIIII. Quasi diceret Apostolus : Nisi ex eadem massa carnem filius Dei assumisset, ex qua nos prognati sumus : mortem obire, Satanaq; potentiam à cervicibus nostris depellere, sicuti Mediatorem decebat, haud potuisset. Hose. 13. Quibus

LV. Quibus autem cauillis hæc testimonia Menno Simon alijs
Catabaptista conentur eludere: post audiemus: nunc sequentes Pro-
phetias de veritate carnis Christi perpendamus: quales Gen. 49. Pa-
triarcha Iacob Num. 24. Bileam Deut. 18. Moses promulgârunt.

LVI. Nec enim שׂוֹרֵה .i. filius secundina: nec Iacobi filius ap-
pellaretur Messias: nec oriturus diceretur instar stellæ ex Iacob:
nec suscitandus ex fratribus Israelitarum sicuti Moses, scriberetur:
nisi carnem suam illa SALVS Mundi ex Iudæis suscipere, sibiq;
personaliter vnire debuisset, Ioh. 4. Vnde etiam Heb. 7. dicitur, ma-
nifestum esse, quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster.

LVII. Sed ad illustriora transeamus: vt quod Dauidi 2. Sam. 7.
promittitur Messias non ex adoptiuo semine, sed de semine illo quod
egrederetur de visceribus ipsius: quæ promissio 1. Paral. 17. quoq;
describitur.

LVIII. Psal. 89. magnifice eadem per Ethanum Eyrabiten illu-
stratur: Disposui testamentum electis meis, iuravi Dauidi seruo
meo, vsq; in eternum præparabo semen tuum &c. qui Hymnus in
Chald. paraphrasi propterea titulum habere videtur שְׁכֵלֵי
מִכְנֵי דַתְּאֵמֶר עַל יַד אַבְרָהָם דַּתְּנָה מִמֶּדְנָה
.i. Intellectus bonus dictus per manum Abrahe qui venit de orien-
te, quia genuinã expositionem promissionis Abrahamo datæ conti-
net: etsi per ipsum fortè non est totus ita compositus.

LIX. Psalmus 132. itidem asserit, Deum iureiurando Dauidi ve-
rè promississe, de quo neutiquam recedere velit, quod de FRVCTV
מִפְּרֵי ventris ipsius collocaturus sit (regem) super thronum eius.

LX. An spiritus S. tam perspicua fuisset vsurus periphrasi, imò
definitione carnis humanæ: si cum Anabaptistis credere nos vellet,
Christi corpus non eiusdem esse materiae & originis cum nostro?
neq; ex Maria, sed cœlitus allatum esse?

LXI. Hæc deinceps Propheta sæpius inculcârunt, & magis illu-
strârunt. Esa. 7. cap. de Incarnatione Immanuelis ait: Ecce virgo illa
grauida et pariens filium, cuius nomen vocabitur Immanuel הֵנָּה
הַיְלֵמָּה הַזֶּה הָרָה וּוּלְדָת בֶּן
non tamen aliunde quàm ex eius substantia carnem filij deducit.

LXII. Cap. 9. Puer natus est nobis, יֵלֶד יֵלֶד לָנוּ iisdem verbis
& infantem & natiuitatem eius, siue ortum exprimit, quibus a-
liàs solet uti spiritus sanctus: ne dubitemus verè ac non simulate
natum esse D. seruatorem, etiamsi plena miraculis fuerint omnia.

LXIII. Cap. 11. vocatur Messias virga ex trunco Isai, et surcu-
lus ex radicibus eius fructificans חֵטֶר מִצֵּעַ יֵשׁוּ וְנֹצֵר מִשְׂרָשׁוּי
יִפְרֵי Item v. 10. Radix Isai, quæ stet in signum populorum. cap.
53. Radix de terra sicca exoriens. Quæ omnia carnem Christi non
de cælo allatam, sed ex terra ortam, & nostræ διουόσιον comprobant,
ut August. in Ps. 98. eleganter: Christus suscepit terram de terra,
quia caro de terra est, & carnem de carne Maria accepit.

LXIII. Jeremias 23. & 33. nominat Christum Germen Davi-
dis, filium ex Dauide, Semen Dauidis: sicut & alij Propheta pas-
sim: quibus appellationibus humane nature veritas perspicuè
declaratur: sicut etiam vaticinijs omnibus, quibus de opere redem-
tionis, de passione, morte, resurrectione, & quòd Christus caput Ec-
clesiæ suæ debeat esse, prænunciatur: qualia sunt. Esa. 53. Hos. 1.
13. Zach. 9. 12. Psal. 22. 16. 109. 110.

LXV. Causam huius consequentiæ suprâ monstrauimus thesi 34.
& deinceps. Veruntamen ut noui Testamenti longè maior est glo-
ria, quàm veteris: 2. Cor. 3. Ita Euangelistarum & Apostolorum o-
racula prophetica etiam in hoc articulo sunt illustriora: quæ nunc
ordine considerabimus.

LXVI. Ac sane quæ in ordinarijs sedibus, uti vocant, reuelati
huius mysterij leguntur, ut omni luce clariora sunt: ita controuersi-
am sola dirimere, fanaticisq; hominibus os obstruere poterant: Cum
non testimoniorum numero, sed pondere & proprietate, fides con-
tra corruptelarum autores pugnet.

LXVII. Ne verò multis illud urgeamus, quòd statim in primo
versu Euangelicæ historiæ Matthæi vocatur Iesus filius Dauidis,
filius Abrahami: qua veluti propositione noui Testamenti, omnes
veteris instrumenti promissiones recapitulantur: eaq; repetitione
nobis stabiliuntur, ut Phil. 3. Paulus de suis iterationibus loquitur.
Quid cla-

LXVIII. Quid clarius de humana Christi natura dici posset, quàm quod Euangelista scribit, Ex Maria natum seu genitum esse Christum (non autem carnem eius de cælo allatam, vel ex substantia τὸ λόγος ortam siue concretam esse) quodq; paulò post ad vaticinium Esaiæ. 9. (de quo supra) nos remittit?

LXIX. Alios in hoc & sequentibus Euang. locos allegare iam nihil attinet, ubi filius hominis, filius David, appellatur Messias noster: Cùm Archangelus Gabriel Luc. 1. nos omnium clarissimè erudiat, quid non solum de diuina, sed etiam de humana D. seruatoris natura credere nos oporteat. ἰδοὺ ἰνκὺιτ, σπὺρ ἁγίον ἐν γαστρὶ, ἢ τέξῃ υἱόν, Ecce concipies in utero & paries filium.

LXX. Paulò post appellat Davidem patrem filij Mariae, cùm ait: Dabit illi Dominus thronum Davidis patris sui, & regnabit super domum Iacob in æternum: quæ, ut reliquæ oraculi partes, ex veteris Testamenti dictis supra citatis desumpta sunt.

LXXI. Postremò, demiranti Mariae, quomodo concipere viro incognita virgo queat, respondet: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te: ideo quod ex te nascitur sanctum, vocabitur filius Dei, τὸ γεννώμενον ἐκ σπὺς ἁγίου, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ.

LXXII. Particulas ἐκ σπὺς non est dubium hîc in quibusdam exemplaribus, fraude Valentinianorum & Marcionitarum expunctas esse: ne claritas evidentissima testimonij Angelici delirium ipsorum primo intuitu posset elidere: quemadmodum de illo dicto 1. Ioh. 4. Nestorianorum fraude expuncto testatur Epiphanius. Omnis spiritus qui soluit Christum, non est ex Deo.

LXXIII. Verùm etiam si hîc non extarent: sæpe tamen alibi legerentur eadem & equipollentes phrasæ: ut Gal. 4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum γεννώμενον ἐκ γυναικὸς natum ex muliere. Rom. 1. Filius Dei natus est EX SEMINE David secundum carnem.

LXXIII. Sed ne silentio prætereamus Elisabetham Spiritu sancto plenam: testatur hæc Christum Iesum esse Benedictum FRUCTUM VTERI Mariae, quo Epitheto respicit procul du-

bio phrasin Psal. 132. supra citatam.

LXXV. Quod si Redemptor noster aut carnem suam de cælo secum attulisset, ut Valentiniani somniârunt: aut diuinitatis suæ substantiam in corpus humanum transformâisset, ut Marcionita & Mennonista fingunt: non posset verè dici ex Maria, ex muliere, ipsum esse natum: falsò etiam fructus uteri virginalis à sancta matrona diceretur: falsò ex semine Dauid secundum carnem natus prædicaretur.

LXXVI. Ad hæc testimonia, quæ non ex peregrinis aut impertinentibus, sed proprijs huius materiæ sedibus depromta sunt: ideòq; lucem obscurioribus locis, quos Anabaptista passim anxie conquirunt, & sincera doctrina opponunt, adferre debebant: adiungi possunt deinceps alia: ut quod psal. 22. Ioh. 20. fratrem se nostrum filius Dei nominare dignatur.

LXXVII. Nusquam verò legitur Angelos appellasse suos fratres: licet ipsi quoq; non rarò in specie humana apparuerint. Non enim Angelos assumpsit, sed semen Abrahamæ assumpsit: ideo non erubescit nos suos appellare fratres Heb. 2. Ideo mox ubi rediuius è sepulchro redisset, hoc nomine suos Apostolos salutare iussit Ioh. 20.

LXXVIII. Sumus enim membra corporis ipsius, ex carne ipsius, & ex ossibus ipsius Eph. 5. Ipse caput nostrum est Hos. 1. 13. Eph. 1. Ideòq; nobis secundum carnem est consubstantialis: sicuti patri & Spiritui sancto secundum diuinitatem.

LXXIX. Eodem pertinet, quod Act. 17. concionatur Paulus Atheniensibus, Deum EX VNO SANGUINE omne genus hominum fecisse: Ad quam vniuersalem Christi quoq; natiuitatem, quò ad humanam naturam, referri debere, demonstratur Heb. 2. EX VNO omnes sunt, & qui sanctificat, & qui sanctificatur.

LXXX. Quod enim Anabaptista cauillantur intelligendum esse, ex vno scilicet Deo, non Adamo: valide refellitur ex ipso textu, mox enim subiicit: Ideo (quia nimirum ex vna carne propagati sunt cum ipso) non erubescit ipsos fratres appellare, ac deinceps aliquot illustria veri corporis assumti argumenta recenset: de quibus supra dictum. Hanc

LXXXI. Hanc dulcissimam consolationem quod unigenitus Dei filius se nobiscum arctius, quam vel cum Angelis, vel cum Archangelis consociauit. Heb. 2.

LXXXII. Et quod ipse secundus Adam de caelo caelestis: 1. Cor. 15. tamen ex primo Adamo terrestri secundum carnem aequè ac nos nasci voluit.

LXXXIII. Quemadmodum Genealogia Mariae ad Adamum usq; Luc. 3. deducta docet: cum series Matthaei in Abrahae semine consistat, nec expressè ad vniuersalem promissionem. Gen. 3. toti humano generi promulgatam deducat.

LXXXIII. Hanc inquam consolationem eripere nobis aduersarius ille salutis nostrae Satanas per Anabaptistarum figmenta, quantumuis plausibili colore fucata, nititur.

LXXXV. Imò etiam passionem & mortem Christi, in qua totum pondus & vniuersus fructus Christiani nominis, teste Tertuliano lib. 3. contra Marcionem, consistit, negare ac euacuare conatur, Quam necesse est imaginariam duntaxat fingi, si diuina solum in ipso natura constituatur, humana negetur.

LXXXVI. Deus enim sua natura est immortalis, 1. Timoth. 1. & 6. cap. Non mutatur Malach. 3. Iureiurando confirmat se in aeternum viuere. Deut. 32.

LXXXVII. Ad humanam verò naturam Christi pertinet, non solum corpus sed etiam anima: quorum utrumq; nomine carnis Gen. 7. Esai. 40. Iob. 3. Rom. 1. 3. 1. Pet. 2. & alibi passim intelligitur.

LXXXVIII. Quod autem in indiuidua persona Christi non sit diuinitas filij Dei λογος, loco animae rationalis, ut Thesi 16. de Arrianorum & Apollinaristarum sententia diximus:

LXXXIX. Sed praeter corpus, etiam creatura spiritualis, eiusdem cum animabus nostris substantiae sit: manifestum est tum ex ijs, quae adhuc allatae sunt, rationibus: tum ex alijs quoq; scripturae testimonijs.

XC. Nisi .n. totam hominis naturam λόγῳ assumisset, totū hominem non redemisset, sicuti preclare Nazianzenus ad Cleodonium Presbyt. contra Apoll. Epist. 1. τὸ γὰρ ἀπεὸσληπτόν, ἀθεράπειτον, ὅδῃ ἦν ἡ ψυχὴ τῷ θεῷ τὲ τοῦ εἶ σωζέται. εἰ ἡμῖς ἐπιποισεν ἀδύαμ, ἡμῖς εἰ τὸ προσωσαλημερῶν εἰ τὸ σωζόμενον.

XC I. Et quomodo posset verus homo factus dici, quomodo filius hominis nominari: nisi etiam mente seu anima rationali praeditus esset? cum homo non sit corpus, sed potius anima seu spiritus corporis particeps: sicut scriptura Gen. 2. Eccles. 12. Psal. 31. testatur: et ipsa quoque Philosophia hominem definit, teste Platone in Clitoph.

XC II. Psal. 16. Christus ait de sua morte & descensu ad inferos. Non relinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: manifeste nos docens quod non modo corporis, sed etiam animae humanae particeps fuerit.

XC III. Sic Psal. 31. Christus alloquitur aeternum patrem his verbis: In manus tuas domine commendo spiritum meum, citante Luca 23. nimirum vocabulo spiritus siue $\pi\nu\lambda\acute{\iota}$ mentem siue alteram partem substantiae hominis significans: sic paulo post v. 8. Cognovisti in angustijs Animam meam. Item turbata est pra indignatione anima mea.

XC IIII. Quod clarius etiam proponit ipsemet, illa de suis internis cruciatibus & angoribus testificatione. Matth. 26. Tristis est anima mea usque ad mortem. Item Ioh. 10. Ego pono animam meam pro ouibus. Matth. 20. Ponet filius hominis animam suam ἀντίλυτρον pro multis.

XC V. Videtur his ipsis locis D. servator phrasin illam Esai. 53. illustrare, Si posuerit animam suam hostiam pro peccato, videbit semen, & prorogabit dies.

XC VI. Sed ut similia testimonia plura silentio praetereamus: videtur deinceps de origine animae Christi & nostrarum etiam quaerendum esse: num videlicet ex Maria virgine una cum corpore assumpta & per traducem, ut loquuntur, propagata sit: an vero ex nihilo creata: corpori quoque cum λόγῳ unita.

Cum vero

XCVII. Cùm verò tam diuersa sint veterum et recentium Theologorum hac de re sententia: periculosum sanè ac temerarium videri possit desinire: quod multi præstantes Viri, veluti non satis expressè reuelatum, in medio reliquere.

XCVIII. Probabiliortamen eorum videtur sententia, qui unà cum corporibus propagari statuunt: Ac etiamsi acutissimi quique in contrarium varias cumulent rationes: Philosophicis tamen illa principijs nituntur magis quàm Theologicis. Sed de hoc articulo, in disputatione de peccato, ulterius agendum fuerit.


XCVIII. Nunc cùm præcipua nostra confessionis de veritate carnis Christi ex Maria virgine assumptæ fundamenta posuerimus: & veluti classes argumentorum, ad quas similes plurimæ probationes ex veteri nouoque Testamento poterunt referri, notauerimus:


C. Quæ quidem non ex peregrinis locis, sed ex ijs deprompta sunt, ubi propriè hoc mysterion, aut luculentis vaticiniis prædictum, aut ipsa veritate comprobatum describitur aut consolationis ergò nobis pluribus & significantissimis verbis inculcatur:

CI. Opera præcium esset deinceps aduersariorum Sophismata, quibus huic clarissimæ luci nebulas offundere nituntur, expendere, cùm arma Christianorum & περισυλακτικὰ & ἀμυντήρια esse debeant, neque solum opes suas munire, verum etiam munitiones aduersarias, quæ contra noticiam sinceram Christi se extollunt, destruere 2. Cor. 10.

CII. Verùm quia non satis commodè hæc argumenta cum obiectionum contrariarum refutationibus vno tempore unaque disputatione tractari poterunt, tum propter diuersa Spiritus Sancti oracula, quæ indigent explicatione, tum propter multitudinẽ præstigiæ, & absurditatum, quibus Mennon & alij veram sententiam obruere conantur:

CIII. Differemus reliquam huius controuersie tractationem in proximam συζήτησιν, & filium Dei veris gemitibus, ut Spiritu suo sancto nos & in omnem veritatem ducat, & ab erroribus huiusmodi cum fundamento pugnantibus, clementer conseruet, inuocabimus. Amen





Jg 33 50

ULB Halle 3
003 560 996



f

TA → OL

man 4 u. 11

schneid


VD 77



nam sanguis in lege subie
Meritis legem deser
niamus viget in aperit iter si
at deo perit in idem que a cum
Sed omnes alia in omnia
us aquilina sunt in terra in

rit rons uolunt a us in suo d
diferentis tota sensus in
ala contemplatio
viget in uerba aqua in
his habundat in uerba
nos summi in omnia est xpc in





18.

I. DISPVTATIO

DE INCARNATIONE
VERBI:

QVOD FILIVS DEI HVMA-
NAM NATVRAM SVAM NON DE COELO SE-
cum attulerit, sed ex Maria virgine assumserit in vnitatem
personæ: ideoq̄, secundum carnem nobis
ὁμοῦσι sit.

ADVERSVS ANABAPTISTARVM ERRORES:
in qua, CHRISTO S. Spiritus gratiam
largiente,

PRAESIDE

IOHANNE OLEARIO DOCTORE, S.
THEOL. & HEBRAEAE LINGVAE PROFES-
sore in illustri Academia IVLIA, respondebit M.
LVDOVICVS MOLITOR Lucho-
uiensis. 14. Apri. hora 7.



Excusa Helmstadij per IACOBVM LVCIVM
Anno salutiferæ Incarnationis
M. D. LXXXI.